



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 29. Diversæ summi Pontificis Constitutiones & epistolæ in variis caussis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII. quam prodicionis rei a Parlamento sunt
A. C. 1715. condemnati, eorum uxoribus atque
 Amicis incassum gratiam, veniamque
 petentibus, ex quibus tamen Nitis-
 lade Comes in uxoris suæ vestibulis fugi
 dilapsus est, hac in carcere loco Ma-
 riti sui remanente, quæ postmodum
 cum eximio fidei conjugalis encomio
 a Rege libera est dimissa, ejus tamen
 Mariti percussori mille sterlingorum
 libræ sunt addictæ. Hujus funesti suc-
 cessus adhuc ignarus Pontifex die de-
 cima Decembris Mariæ Britannicæ Re-
 ginæ rescripsit, quod pro felici exitu
 consilii a Jacobo ejus Filio suscepti Deum
 exorarit, ut fideles ejus subditi illum
 in patrem solium restituere possent
 atque ad hanc expeditionem Papa pe-
 cuniarum subsidia contulit, quorum
 tamen tenuitatem obtento Turcarum
 bello excusabat, & Jacobi Regis cau-
 sam Philippo Hispaniarum Regi com-
 mendabat.

§. XXIX.

*Diversæ summi Pontificis Constitutio-
 nes & epistolæ in variis causis.*

Bull. magn. Adhucdum in Neapolis Regno circa
Clem. XI. utriusque potestatis jura ingen-
Const. 75. fervebat dissidium, cumque aliud
fol. 145. Tribunal seu Congregatio, quæ
juncta vocabatur, varia promulgaret
 decreta, quibus literarum, Apostoli-
 corum

corumque mandatorum executio ibidem præpediebatur, hinc Pontifex die undecima Januarii edita Constitutione Apostolica hujus Tribunalis edictum novissime promulgatum, ceteraque impofterum ab eodem decernenda omnino nulla & irrita esse, & decretis Apostolicis in suo vigore permanentibus omnes, qui ea de causa censuras Ecclesiasticas incurrerunt, vel postea incurrunt, a nemine, quam a Sede Apostolica absolvi posse declaravit. Quam primum vero summo Pontifici innotuit, quod Achmetes Turcarum Imperator efferatiori, quam unquam rabie bellum instaurare vellet, mox die vigesima prima Maij ad implorandam Dei opem universale indixit Jubilæum, & die decima Januarii Carolum Imperatorem vehementer excitavit, ut Turcarum consiliis toto conatu & armorum potentia obsisteret: Joannem quoque Lusitanæ Regem hortabatur, ut sui Genitoris exemplo Venetos liberali, promptoque subsidio juvare velit. Postquam nuperæ Pontificis literæ, quibus Siculæ Monarchiæ Tribunal abrogabat, ad Siciliæ Regnum fuerant delatæ, mox die vigesima Martii Regius Fiscus Procurator Panormi edictum typis impressum promulgavit, quo adversus Papæ decretum

Sæc. XVIII.
A. C. 1715.

Sæc. XVIII. tum tanquam ob- & subreptitium
A. C. 1715. parte nec citata nec audita emanatum
 reclamabat, eoquod prærogativa ad
 immemorabili tempore possessa, & ab
 Urbano II. Adriano IV. Pio V. confir-
 mata, & ab ipso Clemente XI. per plu-
 res actus Anno 1705. ratificata, & Ro-
 gerio Comiti titulo oneroso ob hoc Re-
 gnum infidelibus ereptum confirmata
 Regi & Regno injuste auferretur, &
 populus ad hanc judicii formam jam
 longo tot sæculorum usu institutus &
 assuetus, sine publicæ tranquillitatis pe-
 riculo ad novam formam induci haud
 posset: Has ob causas Procurator
 Pontifice male edocto ad eundem me-
 lius edocendum provocavit, & pe-
 dente hac appellatione executionem
 Pontificiæ Constitutionis esse suspensam
 declaravit: Comperto hoc decreto Pon-
 tificis die octava Junii rationes a Pro-
 curatore allatas refellere haud sollicitus,
 hanc appellationem, cunctaque
 inde secuta vel secutura nulla & irrita
 decrevit, disertisque verbis damnavit,
 declarans, omnes, qui hujus appella-
 tionis partem habuissent, in censuras
 Ecclesiasticas incidisse, a quibus, præ-
 terquam in mortis articulo, a solo Pon-
 tifice absolvi non possent.

Hoc item anno Clemens Pontifex
 Hyacintham Marescotti Beatorum Albo
 infe-

inferuit. Die autem decima Januarii Sæc. XVIII.
 Joannem Lusitanæ Regem, cui Sina- A. C. 1715.
 rum & Indiarum Orientalium Missiones
 impense commendabat, insister ad-
 monuit, ut Cardinali Tournonio, ejus-
 que familiaribus & Sociis atroces in-
 jurias ab ejus Ministris in Macaonensi
 Urbe illatas congrua satisfactione sar-
 ciri & publicum scandalum, quo non
 modo Christiani, sed ipsi etiam Eth-
 nici, qui ea omnia propriis oculis in-
 spexerunt, commoti fuissent, necessa-
 ria in fontes animadvertione e medio
 tolli juberet, idem quoque Pontifex a
 Cardinale de Attayde postulabat.

Compererat Pontifex, quod in novo
 Regno Granatensi ex occasione visi-
 tandi Sanctimonialium Monasteria in-
 gens sæcularium numerus intra septa
 introduci consueverit, & puellæ ante le-
 gitimam ætatem in eisdem Monasteriis
 ad habitum regularem admittantur,
 necnon per plures annos usque ad pro-
 fessionis tempus ibi permaneant, utram-
 que corruptelam Pius V. & Grego-
 rius XIII. per Constitutiones Aposto-
 licas abrogarunt, earum vero obser-
 vantiam Clemens Papa datis die deci-
 ma septima Januarii literis specialiter
 commendabat Archiepiscopo sanctæ Fi-
 dei in Indiis Occidentalibus.

Die

Sæc. XVIII.

A. C. 1715.

Die vigesima Martii anni prioris Leopoldi Lotharingæ Ducis nomine Constitutio edebatur, qua Ecclesiis tam sæcularibus quam regularibus in ejus conditione sitis interdicebatur, ne fundum ullum, vel immobile quicquam quocunque testamenti, donationis, vel acquisitionis titulo consequi imposterum possent, bona etiam omnia illis assignata vel vendita fisco addicerentur, & acquisita ab ineunte sæculo ad manus laicas reverterentur: Hoc edictum Pontifex Immunitati ac libertati Ecclesiasticæ plurimum obesse ratus, die secunda Februarii Ducem rogabat, ut hujus Constitutionis executionem non modo prohiberet, sed & illam contrario edicto quamprimum abrogaret. Sub idem tempus Franciscus Cardinalis de Jodice Hispanicæ Inquisitionis Tribunalis Præses edictum quoddam suo chirographo munierat, quo nonnulli impii & scandalosi libelli & scripta a præfato Tribunali recognita & damnata prohibebantur: ast Madritensis Aulæ Ministri obtento Regis nomine acerbas contra hunc Cardinalem querelas moverunt, eique ac præfato Tribunali condiciones tum ejus honoris noxias, tum muneris sui debito repugnantes præscribere; quas tamen Cardinalis strenue & generoso animo rejecit.

ac propterea die duodecima Februarii Sæc. XVIII.
 perhonorificis literis a Papa commen- A. C. 1715.
 datus est: Sub idem tempus ipsemet
 Pontifex apud Philippum V. Hispaniæ
 Regem desuper querebatur, quoniam
 vero Regis jussu, detectis Ministrorum
 dolis, perperam gesta revocata & de-
 creta contra Cardinalem edita rescissa
 fuere, hancque revocationem ipsemet
 Rex Pontifici datis ad eum literas signi-
 ficaverat, hinc Clemens die sexta Maij
 in secreto, ut vocant, Consistorio hanc
 Regis epistolam prælegi iussit, his ver-
 bis Cardinales allocutus:

*Reliquum nunc est, Venerabiles Fra-
 tres, ut maximas Divinæ bonitati gratias
 agamus, quæ dedit Regi cor docile ad fa-
 ciendas justificationes suas, eamque humili-
 ter exoremus, ut illius animum magis in-
 flammet ad perficiendum opus, quod inæ-
 pit, unde meritas illi laudes, quas ei om-
 nis posteritas reddet, dum hujus tam præ-
 clari facti memoriam recolet, uberius Nos
 ipsi retribuere, ac indies augere possimus,
 illiusque illustri exemplo addiscant omnes,
 Catholicum ac vere sapientem Principem
 minime dedecere ea, quæ minus recte gesta
 sunt, retractare, quinimo veram illam ac
 solidam gloriam sibi parare, male acta cor-
 rigendo, non ea cum Ecclesiæ, Deique of-
 fensione propugnando.*

Sæc. XVIII.

A. C. 1715

Demum die decima quarta Maii datis literis Philippum Regem, eo quod hæc decreta, se, si non infcio certe invito aut decepto, edita resciderit, digna ornabat laude, eum hortatus, ut etiam cetera in suo Regno contra Ecclesiam sedemque Apostolicam attentata abrogari curaret.

Jam ante aliquot annos Lincii in Austria pro Regnis ac Provinciis Septentrionalibus Seminarium erat erectum, ut illius Alumni, cum ad propria reversi fuerint, alios & alios ad gremium S. Matris Ecclesiæ reducerent possent: cum autem Pontifici significatum fuisset, quod p. m. Maximilianus Henricus, & Febronia ejus Conjugum viverent, Bavarix Duces quædam bona in supremis ipsorum tabulis eo fine reliquissent, ut in selectæ Juventutis, quæ se Dei & Religionis cultui addicere decreverat, sustentationem erogarentur, eapropter die decima quinta Martii Maximilianum Emanuelum Bavarix Electorem, in cuius arbitrio horum bonorum dispensatio relicta erat, impense rogabat, ut ejusmodi bonorum subsidio præfatum Seminarium augere velit.

Quoniam vero Brandenburgicus Elector contra Ultrajectensis pacis leges in Geldrix Provincia sensim nec obscure sectam

sectam suam invehere, & Catholicam religionem eliminare, atque Catholicis Officialem A catholicum obtrudere niteretur, hinc Pontifex Geldriæ Status & Ordines, quod hunc Officialem in suum consortium recipere constanter renuerint, debita laude prosecutus, Carolum Imperatorem & Franciæ Regem rogabat, ut Orthodoxam religionem ibidem illæsam conservari stude-
 rent, suaque auctoritate eniterentur, ut Catholicis quoad munera & Officia Magistratum, aliaque jura quæcunque ipsis olim competentia nullum penitus detrimentum irrogetur.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1715.

Insuper Pontifex die trigesima Martii nuperæ suæ Constitutionis contra Ritus Sineses editæ duo exempla Joanni Lusitanæ Regi submitit, efflagitans, ut suis ibidem Administris ac potissimum Goanis & Machaonensibus præcipiat, ne hujus Constitutionis executioni ullum interponant impedimentum, & si quod forte interponeretur, removeri sedulo curent, ut hæc Constitutio omnimodum, plenarium ac integrum sortiatur effectum.

Cum autem Anastasius Nicosiensis Ritus Armeni Archiepiscopus ejuratis erroribus ad fidem Catholicam reversus, suam fidei professionem summo Pontifici submitisset, hinc Clemens

K 2

hunc

Sæc. XVIII. hunc reditum eidem gratulatus, illum
 A. C. 1715. hortabatur, ut etiam suæ Nationis ho-
 mines pariter ad veritatis agnitionem
 perducere conetur, ei vero calicem
 argenteum cum Patenna dono submit-
 aliisque ejusdem postulatis benigne au-
 nuit.

Hoc item anno die tertia Januarii
 Patres Dominicani, qui in Sinarum
 Imperio Evangelium prædicabant, a
 summo Pontifice literas receperunt
 jam anno hujus sæculi decimo tertio
 die vigesima tertia Aprilis datas, at-
 que ad R. P. Provinciam, ceterosque
 suos Religiosos Missionarios Provinciae
 S. Rosarii in Insulis Philippinis inscri-
 ptas, hujus tenoris.

*Dilecti Filii, salutem & Aposto-
 licam Benedictionem.*

„Quæ de singulari pietate vestra
 „ac plane præstanti erga Nos, atque
 „sanctam hanc Sedem devotione, non
 „semel commemorari audivimus, cum
 „Ordini, quem summopere diligimus,
 „suffragentur, uberem nobis gaudii
 „materiam attulerunt; gratam autem
 „imprimis, ac præter modum nobis
 „acceptum fuit, quod piæ memoriæ
 „Cardinali de Tournon, cujus memo-
 „ria in benedictione est, simulque Vi-
 „cariis

„cariis Apostolicis istarum partium, Sæc. XVIII.
 „debitam obedientiam alacriter omni A. C. 1715.
 „tempore præstiteritis, eisque sincera,
 „& incorrupta fide, ut par erat, sem-
 „per adhæseritis, quin etiam stantes in
 „magna constantia adversus eos, qui
 „vos angustiaverunt, vincula, exilia,
 „aliaque mala plurima infracto, ex-
 „celsoque prorsus animo sustinueritis.
 „Est propterea, cur tot præclaris do-
 „cumentis comprobata virtutem ve-
 „stram, peculiari hoc gratæ, ac in Vos
 „admodum propensæ voluntatis nostræ
 „testimonio prosequamur, simulque par-
 „tam vobis non levem apud veros Ec-
 „clesiæ filios Christianæ fortitudinis ac
 „Zeli laudem impense gratulemur. Ce-
 „terum paternæ benevolentiæ nostræ
 „luculentiora, quotiescunque occasio
 „suppetat, vobis non deerunt argu-
 „menta, ejusque interea pignus non-
 „nulla Vobis mittimus sacra munera,
 „quæ religiosis animis vestris pergrata
 „fore, minime dubitamus. Vobis de-
 „mum, dilecti Filii, Apostolicam bene-
 „dictionem peramanter impertimur, &
 „honorum omnium largitorem humili-
 „ter obsecramus, ut cælestium charis-
 „matum donis Vos indes uberius cu-
 „mulet. „ Insuper summus Pontifex
 „Episcopus etiam Regulares juramento
 „adstrinxit, ut juxta Alexandri VII.

Sæc. XVIII. decretum in Ecclesiis suis, etsi inter
A. C. 1715. Schismaticos & infideles constituta
 essent, resideant.

§. XXX.

*Siculatorum oppositio contra Pontificis
 decreta.*

*Bull. magn.
 Part. II.
 Clem. XI.
 Const.
 pag. 313.
 Vid. p. 140.* Ea Pontificis Constitutione, qua Si-
 culæ Monarchiæ Tribunal abroga-
 tum erat, Sabaudix Regis Ministe-
 riæ laicæ potestatis usum contra Ecclesia-
 sticos adeo non restringebant, ut etiam
 illos, qui Pontificis decreta observa-
 runt, eo durius haberent: quippe præ-
 ter præfatum Tribunal alia Curia, quam
junctam appellabant, eo fine erigebant,
 ut hæc *junctis* viribus ac studiis unacum
 Monarchiæ Tribunali adversus Pontifi-
 cias Constitutiones earumque cultores
 insurgere posset. Igitur novi hujus
 Tribunalis Præses Joseph Fernandez
 & Jacobus Longo Monarchiæ Judex post
 discessum Canonici Isidori Navarro Si-
 culi Delegati a Pontifice ob violatam
 Immunitatem excommunicati, in Agri-
 gentina Urbe Delegatum constituerunt
 Sacerdotem Franciscum Catanzara Ca-
 nonicum, & Hieronymum Ducem de
 Angio nominarunt Commissarium Ge-
 neralem: Hi ambo mox in eos, qui
 Episcopale interdictum observarunt,
 carce-